UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola LVIII. Gregorii Papae I. Ad Theodoricvm Et Theodebertvm Reges Francorvm. Commendat illis Augustinum, cui iniunxit vt aliquos secum e vicino presbyteros in Angliam ducat, commendat item ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

Visual Library

EPISTOLA LVII.

GREGORII PAPÆ I.

AD ARIGIVM PATRICIVM.

Commendat Augustinum & Candidum.

Gregorius Arigio patricio de Galliis.

QVANTA in vobis bonitas quantaque mansuetudo cum Christo placita caritate resplendeat, latore præsentium Augustino seruo Dei referente comperimus; atque omnipotenti Deo gratias agimus, qui hæc vobis pietatis suæ dona concessit, per quæ inter homines valde laudabiles, & ante conspectum ipsius, quod est veraciter vtile, glorioſi possitis existere. Oramus ergo omnipotentem Dominum, vt hæc in vobis quæ concessit dona multiplicet, & sua vos cum omnibus vestris protectione custodiat; & ita actionem gloriæ vestræ in hoc sæculo disponat, vt & hic vobis, & in futura, quod magis optandum est, vita proficiat. Salutantes itaque gloriam vestram paterna dulcedine petimus vt lator præsentium, & serui Dei qui cum eo sunt, vestra in quibus necesse fuerit solatia consequantur, quatenus dum vestrum fauorem inuenerint, iiuncta sibi melius adiuuante Domino valeant adimplere. Præterea filium nostrum Candidum presbyterum, quem ad gubernationē patrimonioli ecclesiæ nostræ, quod illic est, transmisimus, vobis per omnia commendamus, confidentes a Deo nostro vos mercedis vicem recipere, si rebus pauperum solatia sua gloria vestra deuota mente præstiterit.

EPISTOLA LVIII.

GREGORII PAPÆ I.

AD THEODORICVM ET THEODEBERTVM REGES FRANCORVM.

Commendat illis Augustinum, cui iniunxit vt aliquos secum e vicino presbyteros in Angliam ducat, commendat item Candidum rectorem patrimonii.

Gregorius Theodorico & Theodeberto regibus Francorum, a paribus.

POSTQVAM Deus omnipotens regnum vestrum fidei rectitudine decorauit, & integritate Christianæ religionis inter gentes alias fecit esse conspicuum;

magnam de vobis materiam præsumendi concepimus, quod subiectos vestros ad eam conuerti fidem per omnia cupiatis, in qua eorum nempe reges estis & domini. Atque ideo peruenit ad nos Anglorum gentem ad fidem Christianam Deo miserante desideranter velle conuerti, sed sacerdotes vestros e vicino negligere, & desideria eorũ cessare sua adhortatione succendere. Ob hoc igitur Augustinum seruum Dei præsentium portitorem, cuius zelus & studium bene nobis est cognitum, cum aliis seruis Dei illuc præuidimus dirigendum. Quibus etiam iniunximus, vt aliquos secum e vicino debeant presbyteros ducere, cum quibus eorum possint mentes agnoscere, & voluntates admonitione sua, quantum Deus donauerit, adiuuare. In qua re vt efficaces valeant atque idonei apparere, excellentiam vestram paterna salutantes caritate quæsumus, vt hi quos direximus fauoris vestri inuenire gratiam mereantur. Et quia animarum causa est, vestra eos potestas tueatur & adiuuet, vt Deus omnipotens, qui vos in causa sua deuota mente, & toto studio solatiari cognoscit, causas vestras sua protectione disponat, & post terrenam potestatem ad cælestia vos regna perducat. Præterea dilectissimum filium nostrum Candidum presbyterum, & patrimoniolum ecclesiæ nostræ, quod in illis partibus est constitutum, vt commendatum excellentia vestra habere debeat postulamus, quatenus beatus Petrus apostolorum princeps sua vobis intercessione respondeat, qui mercedis intuitu tuitionem in rebus pauperum eius impenditis.

Queritur sacerdotes Galliæ Anglos negligere desiderantes fieri Christianos.

Rogat vt Augustinum foueat etiam sacerdotes petentem.

NOTA IACOBI SIRMONDI SOCIETATIS IESV.

[1] *Theodorico & Theodeberto.*] Childeberti regis filiis. Ad Childebertum regem epistolam VII. scripserat Gregorius mense Septembri, indictione 14. id est anno Christi 595. Hanc ad filios reges scribit mense Iulio eiusdem indictionis, quæ nota est anni 596. Tempore igitur interiecto mortuum esse Childebertum, eique filios successisse necesse est. Errant proinde qui horum regni exordium in anno Christi 600. constituunt, vt Sigebertus in chronico.